





14 1757 21
66

DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS
DE

EFFECTV FELONIAE
VASALLI QVOAD SVCCESORES
FEVDALES LEGITIMOS
INNOCENTES

QVAM
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET CONSVLTISSIMO

D. DANIELE NETTELBLADT

POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIIS AVLICIS
ET PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO

D. II. IVLII MDCCLVII.

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

A V C T O R

ERNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL

QVEDLINBVRGENSIS.

HALAE RECVSA, TYPIS HENDELIANIS 1779.



1.

DISSENTATIO

EFFECTU FELONIAE

IN ANTI QUAUD SYGESSORES

IN PALLIS REGIMOS

INNOCENTIS

QVA

REACTIO

IN PALLIS REGIMOS

IN ANTI QUAUD SYGESSORES

DISSENTATIO

EFFECTU FELONIAE

IN ANTI QUAUD SYGESSORES

DISSENTATIO

EFFECTU FELONIAE

IN ANTI QUAUD SYGESSORES

DISSENTATIO





DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS
DE
EFFECTV FELONIAE
VASALLI QVOAD SVCCESORES
FEVDALES LEGITIMOS INNOCENTES.

§. I.

Quod in rebus domesticis vitaeque communi accide-
re videmus, indulgentiores patres matresue, omnes quidem
ex se natos impente, ut fert paternus animus, diligere, in
vnum tamen alterumve ex numerosa iuuentute, cum singu-
lari quadam amoris quasi effusione exaestuare, id etiam non
absimili exemplo in iurisperitorum contingit familia. Ple-
rique enim eorum etiam si cuius iuris scientiae parti suam
statuant pretium, nihilominus tamen huius vel illius partis
amoe-

A

amoenitate ita capiuntur, ut quod pisci aqua, id luxuriantibus animis illa Iurisprudenciae pars esse videatur. Praecipue in vulgus notum Ictorum in ius feudale studium. Quis est itaque, qui, cum ad tractandum quemdam huius iuris locum animum adiecisse nos, intellexerit, huius consilii atque instituti rationem facile non coniciat? Momentosiora enim eius praecepta, commendabilis concinnitas et subinde sparsa ad meditationem ingeniumque exercendum comparata argumenta et nos pellexerunt incitaruntque, ut tirocinii loco ex eo quaedam delibare et excutere apud animum constitueremus. Mouit autem non sola oblectatio, sed ipsa materiae, quam nobis proposuimus, dignitas et excellentia. Agitata iam pridem inter Doctores est quaestio: quidnam, si vassallus commissae in dominum feloniae poenam ferat, inde in posteros eius agnatosue innocentes discriminis recidat? In diuersum trahunt iuris feudalis interpretes. Totam rem instructis contrariarum sententiarum argumentis in conspectum dedit *Perill. MOSERVS in dem R. H. R. Process. P. 3. C. 3. §. 79. seqq.* Haec sunt quae in hoc specimine, quod de effectu feloniae vassalli quoad successores feudales legitimos innocentes inscripsimus, fusius differenda nobis imperamus, per successores feudales legitimos arctius et angustius, in commo-
dioris vocabuli indigentia eos intellecturi, quibus succedendi ratio in solo sanguine posita, ut adeo agnati, qui ex simultanea inuestitura seu coniuncta manu succedendi causas habent, arceantur. Ipsam autem rem ita versare animus est, ut quod ius naturae de ea praecipiat, primo loco videamus, deinde quid ius posituum circa feuda tam publica quam priuata, et quidem Longobardicum non minus quam Germanicum statuatur, indagemus, interiectis etiam examinatisque eorum, qui diuortium a nobis faciunt, opinionibus. Vt-
nam vires his moliminibus sufficerent, lectorumque ex-
specta-

speculationem quodammodo implere daretur. Diligentia sal-
 tim nos non destituet, etiamsi conatui non ubique respondeat
 exitus. Aequiores rerum arbitros hoc primum virium ex-
 perimentum non tam fastidiose spectaturos confidimus et, ne
 faciant, modeste rogatos volumus.

CAP. I.

DE

EFFECTV FELONIAE VASALLI

QVOAD

SVCCESORES FEVDALES LEGITIMOS

INNOCENTES SECVNDVM IVS NATVRAE.

S E C T. I.

PRINCIPIA IVRIS NATVURALIS GENERALIA EX

QVIBVS HI EFFECTVS DIIVDICANDI SVNT.

§. II.

Contracto negotio feudali, dominium feudi utile vel
 vni tantum concessum est, vel pluribus. Priori casu vasalli
 tam probe quam peperam facta ad eum solum spectant, nec
 sunt qui ex eius prudenter consulteque prouisis proficiant,
 aut prauis sinistrisque consiliis affligantur, cum desint, qui
 in vllius rei ab eo gestae partem venire possint. Posteriori
 autem casu tum aliis modis, quorum enumeratione iam su-
 perfedemus, tum hoc in primis conferri potest feudum, vt

A 2

vnus

vnus quidem cum quo contractus ille feudalis celebratus est, nunc feudum teneat, vbi vero fatis cefferit, ad alios, qui ad familiam ipsius genus referunt, ex ordine deinceps transmittat. Cui casui fufius disputando nostram hic infumemus operam.

§. III.

Quod si itaque eo, quem explicatum dedimus, modo feudum alicui concedatur, is, cui tamquam primo illud confertur, dicitur *primus acquirens*, ii vero e familia, ad quos post eum feudum deuoluitur, dici possunt *acquirentes legitimi subsequentes*, qui praecipue, vbi ad eos nondum feudum iptum deuolutum est, vocantur *successores feudales legitimi*.

Excusandi vix videmur, dum in re aliorum iam impressa et signata vestigiis noua vocum genera creare audeamus. Verum medium vocabulum, cum ipso fere sono naturae suae indolem praeferat, commendauit se nobis in commodioris vocis inopia aut ignorantia. Quod an magnopere vitio nobis dari possit, nescio. Cum porro de acquirentibus subsequentibus legitimis et successoribus feudalibus legitimis loquimur, et hic et per totam dissertationem id sibi quisque dictum iterum iterumque meminerit, nos, vt supra iam monuimus, eorum tantum rationem habere, qui ex solo iure sanguinis succedunt. Ad reliquos enim successores feudales qui aliunde succedendi principium petunt, vt 1) simultanee inuestitos; 2) expectatuarios; 3) successores testamentarios aliosque discessum, rei praecludit vastitas. Materiae ponderi et amplitudini tractationis modum aptaturis quodammodo, necessario illud consilium capiendum fuit, vt rem ad duo redigeremus capita, quorum alterum circa eos versatur, successores feudales, qui ex solo iure sanguinis succedunt, alterum circa reliquos, et de priori hic differeremus, de posteriori autem alio tempore disputandi occasionem aucuparemur.

§. IV.

§. IV.

Quodsi itaque ex iure sanguinis succeditur, vel succeditur primo acquirenti, vel ultimo possessori, tumque acquirentio feudi, a primo acquirente (non ab ultimo possessore) in se deuoluti, a successore feudali legitimo facta dicitur *successio feudalis ex pacto et providentia maiorum*, acquirentio feudi ab ultimo possessore (non primo acquirente) in se deuoluti a successore feudali legitimo facta, vocatur *successio feudalis hereditaria*, et feudum in quo introducta successio hereditaria, dicitur *feudum hereditarium*.

§. V.

In feudis non hereditariis donec in viuis est primus acquirens feudum dicitur *nouum*, quodsi e viuis excedat, statim feudum dicitur *antiquum*, et tum quidem vel ea transmissionis lex inter dominum directum et vasallum constituta, vt posteris tantum primi acquirentis feudum cedat, vel vt ad reliquos etiam, qui eius familiae sunt, deuoluatur, priori casu feudum dicitur *natura antiquum*, posteriori ex pacto antiquum.

Feuda antiqua et noua quomodo definiantur non exilis quaedam aut umbratilis, sed maximi in iure feudali ponderis quaestio est, inde in hoc ne quid peccetur cautissime circumspectanda omnia. Nostris definitionibus aliunde fidem petere non possemus nisi ex summorum in iurisprudentia virorum scriptis, ad quorum vnanimitia suffragia exigendae forent. Verum cum ambitiosa omnia, quantum fieri potest, recte fecere animus sit, vnus tantum auctoritatem obtendere placet, quae extra suspicionem saltem nos ponere possit. Sic STRVVIUS in *Elem. Iur. Feud. Edit. Hellefeld. C. 9. §. 231. feuda antiqua*, inquit, *sunt, quae ab eo sunt acquisita, a quo sanguinem trahimus, i. e. si nobis vt acquirentibus posterioribus feudum iam obtigit, itaque mortuo*

tuo primo acquirente, *feuda vero noua sunt quae ab eo a quo descendimus non sunt acquisita*, i. e. quae possidemus vt primus acquirens. Conf. etiam KNAVSSSENS *natürl. Lehn-Recht. §. 142.*

§. VI.

Quamdiu feudum est nouum nihil adhuc in eo cuiquam ex familia praeter primum acquirentem est iuris quasi-tum, ergo totum ius, quod primus acquirens in eo possidet, est ipsius proprium et successores feudales ei succedunt vt heredes in feudo. Cum enim contractus feudalis inter dominum directum et primum acquirentem tantum initus sit, respectu huius contractus successores feudales sunt extranei, seu quod dicunt tertii. Eiusmodi extraneos, etiamsi eorum in contractu inter alios intercedente mentio iniecta, nihil tamen iuris acquirere, sed obligationis, a paciscentium altero extraneorum respectu susceptae, aut conseruandae aut remittendae penes alterum paciscentium solum esse arbitrium, ex iuris naturae principiis in confesso est. Itaque successores feudales, etiamsi de iis etiam pactum sanciat, tamen viuentem primo acquirente, sicque si feudum nouum est, nihil iuris habent, sed potest primus acquirens illis ius suum vel conseruare vel adimere. Cumque disponendi pro arbitrio suo de quodam iure libertas, iuris proprii notio sit; ius quod primo acquirenti competit est ipsius proprium.

Postremo loco cum qui iura a defuncto in se transmissa acquirunt, heredes dicantur, et ius in feudo, quod hic acquirunt successores feudales, vbi primus acquirens vitam cum morte commutat, huius ius sit proprium, tamquam heredes a primo acquirente feudum nanciscuntur successores feudales.

§. VII.

§. VII.

Quamprimum feudum fit antiquum natura tale, ius in feudo non solum adipiscitur acquirens subsequens, sed omnes etiam successores feudales, inde ius, quod illi in feudo partum est, non est ipsius proprium, nec ipsius heredes in feudo sunt successores feudales, sed sunt successores singulares. Primus acquirens enim, cum diem supremum obit, quia non remittit ius successoribus feudalibus per pactum inter ipsum et dominum directum constitutum, nec remittere amplius post fata potest, valens et firma dominum omnibus successoribus obstringit obligatio. Cum itaque aequae obligationi aequum oppositum in successoribus feudalibus ius esse debeat, post mortem primi acquirentis statim, seu simulac feudum fit natura antiquum, non solum acquirenti subsequenti sed omnibus etiam successoribus feudalibus ius in feudo est.

Cum itaque de hoc iure pro libidine disponere nequeat acquirens subsequens, quia non ipsius solius est, ius in feudo non est acquirenti subsequenti proprium.

Cum denique ius in feudo non sit acquirenti subsequenti proprium, indeque si ad successores feudales post eum transcendat, non ab illo in eos transferatur, hi non sunt illius heredes, sed proprio iure succedunt, i. e. sunt successores singulares.

§. VIII.

In feudo ex pacto antiquo distinguendum an collaterales primi acquirentis simul sibi a domino successionem pacti sint, an vero ius succedendi tantum ex contractu feudali inter solum

dominum et primum acquirentem celebrato deriuent. Posteriori casu nihil peculiare in feudo ex pacto antiquo praeter numerum successorum statuendum est, sed post mortem primi acquirentis obtinent ea quae (§. VII.) eo vero adhuc uiuo ea quae (§. VI.) tradidimus. Priori autem casu id singulare est, ut in feudo, quod post mortem primi acquirentis futurum est pacto antiquum, eo iam uiuo et valente id locum habeat, quod (§. VII.) de aliis feudis demum post mortem primi acquirentis adseruimus. Cum enim numerus seu quantitas ius non variet, in feudo ex pacto antiquo autem posteriori casu nil a reliquis diuersum sit praeter successorum multitudinem, sequitur, ut ideo diuersum quid eo casu obtinere nequeat. Pactum autem cum ipsis successoribus agnatis nimirum, sancitum priori casu accedens insignem adferre debet mutationem, cum hic agnati ex proprio pacto ius habeant, sicque illud non primo acquirenti debeant, indeque ei, ut alias ratione acquirentium subsequenrium successio est, succedant.

§. IX.

Si acquirens primus uiuus feudo exiit propter delictum ab eo commissum, sicque si feudum est nouum, omnes eius successores feudales omni iure suo subertuntur. Successores enim feudales hereditatis nomine tenent transmissa a primo acquirente iura (§. VI.) hereditas autem capi nequit, ubi defunctus tempore mortis ius per hereditatem transmittendum ipse non habuit. Hinc aptum pender, successores feudales, ubi primus acquirens feudo excussus est, omnibus simul iuribus excidere.

§. X.

§. X.

Si acquirens subsequens feudo natura antiquo propter delictum expellitur omnibus successoribus feudalibus ius suum saluum illibatumque est. Hic enim successores feudales vt successores singulares i. e. iure proprio succedunt, inde vt ius eorum ab acquirente subsequente neququam profiscatur, siue ille amitrat feudum, siue illud tueatur, horum ratione vnum est idemque.

§. XI.

In feudo ex pacto antiquo, si ipsi agnati sibi stipulati sunt in feudo successionem, electio nec primi acquirentis ipsis obest, sicque tum hoc exturbato idem est effectus, qui §. X. de feudo natura antiquo traditus est. Si autem proprium agnatorum pactum non accedit, omnis differentia exfulat. Cum enim effectus feudi amissi modo succedendi innitantur, de hoc vero idem, quod hic de effectu dicimus, eodem modo de successione dixerimus §. VIII. sequitur vt eadem hic iure repetere possimus.

§. XII.

Licet amisso a viuente feudo successores feudales ius suum inconcussum seruent, nihilominus tamen a tempore amissionis, vsque dum animam efflauerit amittens, domino feudum sit apertum. Cum enim feudum ita concessum sit, vt in alium post alium per ordinem successiones transcat, huius sanctionis anceps est sententia. Vel enim de mortis tantum casu, vel de aliis etiam feudi iacturam faciendi viis sermo est, per quas fiat deuolutio. Iam in dubio pro promissore explicandum est. Promisit dominus. Praestat ipsi prior explicatio. Inde huic patrocinamur, et ante mortem vassalli delinquentis successoribus feudalibus praeter nudam spem quicquam adiaci posse iure nostro negamus.

B

§. XIII.

§. XIII.

Natura successionem ex pacto et providentia maiorum in feudis vigere voluit, hominum saltim voluntate et pactis a tramite suo ad hereditarium succedendi ordinem deflectit. E natura enim et indole contractus feudalis successionem in feudis supra eruimus. Hanc vero si ad definitionem nostram excusseris, ex pacto et providentia fuisse inuenies. Inde patet successionem ex pacto et providentia maiorum a natura in feudis esse constitutam. Vnde et prono alueo fluit, ad humanam voluntatem id referendum esse, si successio hereditaria in feudis obtinere debeat.

§. XIV.

In feudis hereditariis successores cuius ultimo possessori, ut alias ratione primi acquirentis in feudo nouo §. VI. est successio, succedunt (per def. §. IV.), indeque et ratione effectus quoad successores feudales legitimos in casu amissi ab ultimo possessore feudi idem statuendum, quod de eodem momento in casu iacturae a primo acquirente in feudo nouo §. IX. stabilitum est.

S E C T. II.

D E

EFFECTV FELONIAE VASALLI QVOAD
SVCCESORES FEVDALES LEGITIMOS
INNOCENTES SPECIATIM.

MEMBR. I.

I N S T A T V N A T V R A L L.

§. XV.

Felonia latius est quodvis delictum ob quod vasallus feudo expelli potest, haec vero vel consistit in violatione fidelita-

fidelitatis feudalis, vel in aliis delictis, priori casu dicitur *felonia strictius dicta* seu *erga dominum commissa*, posteriori autem *felonia erga alios commissa*.

§. XVI.

Secundum leges naturales, i. e. si pacto peculiari aut per leges positivas aliud prouisum non sit, ea tantum delicta, quibus fidelitatis feudalis religio rumpitur, vasallum feudo exigunt, sicque feloniam strictius dictae per ius naturae feloniam tantum sunt. Quodsi vero per conuentiones legesue particulares alia etiam delicta in feloniam ponuntur, tunc in dubio quicquid in feloniam iuris naturae ex legibus naturalibus iuris esse parebit, id ad haec quoque delicta esse transferendum quilibet largietur. Per leges naturales enim rerum contractarum fides non labefactatur, nisi alterutro paciscentum a pacto recedente, quo casu et alteri nascitur plena a pacto libertas. Inde cum per delicta, quae plane fidelitatem feudalem non laedunt, a contractu feudali non recedatur, nec dominus ob ea pacti obligationem excutere feudoque vasallum arcere potest.

Quodsi vero sancitum diferte constitutumque sit, ut alia etiam delicta in feloniam habeantur, tunc has felonias iuris ciuilibus in dubio ad naturam feloniarum iuris naturae componendas esse, ambitiosa demonstratione non eget.

§. XVII.

Feloniarum erga alios secundum ius naturae quoad successores feudales desunt effectus, sed solae erga dominum commissae successoribus obesse possunt. Quod si autem iura positiua felonias erga alios sua ciuitate donauerint, idem de effectibus

effectu quoad successores feudales in felonis erga alios tenendum, quod de hoc in felonis erga dominum docebimus. Cum enim negent logici, de eo quod non est, praedicari quidquam posse, feloniarum autem erga alios ignara sit natura, sequitur vt per leges naturae de effectu quoad successores nihil edictum inuenias. Quodsi autem leges et sanctiones arbitrariae felonias erga alios adoptarunt, in dubio sequuntur rerum naturam, quatenus de felonis statuit (§. praec.).

§. XVIII.

Feloniarum effectus quoad successores feudales differunt prout vel primus acquirens, vel acquirens subsequens feloniae reus est, seu prout feudum vel nouum est vel antiquum; hocque vel natura tale, vel pacto tale, cuius rei sequentia fidem facturi sunt.

§. XIX.

Si primus acquirens feloniam temere perpetrat, seu quando feudum tempore commissae feloniae est nouum, datur aliquis eius effectus quoad successores feudales, qui in eo consistit, vt ius succedendi eorum plane exspiret. Per §. IX.

§. XX.

Si acquirens subsequens feloniam commisit, seu quando feudum est antiquum et quidem natura tale, nullus datur effectus quoad successores feudales, adeo vt ne serius quidem citiusue ad feudum adspirent, quam, nulla peracta feloniam, eo potiri fuissent. Cuius demonstratio a paragrapho X. et XII. petenda est, ad quos, ne moras cum lectorum nausea nequamus, eos remittimus.

Recedit

Recedit a nobis aut recedere saltim videtur L. B. DE WOLF in *Iure Nat. P. VI. §. 456.* qui felonias successoribus feudalibus, nulla adhibita distinctione, innocuas esse, contendit. In eandem sententiam pedibus transit LANGEMAK in *allgemeinen Lehn-Recht. §. 89. p. 195.* Rationes opinionis suae has reddunt, quod I. successoribus feudalibus, vt innocentibus, nihil possit imputari, ii que II. iure proprio, nec a vasallo delinquente in se deuoluto, succederent. Verum cum 1) multi iuris sui naufragium faciant, crimine et culpa vacantes et 2) acquirenti subsequenti quidem proprio iure succedatur (§. VII.), non vero primo (§. VI.), cuius facile est ad intelligendum, nos non nonaturiendi quadam impotenti libidine actos, sed praeparata mente ad distinctionem nostram accessisse, et egregiis Viris idem in animo fuisse, et modo non aperte satis et palam, sed obsecutus et testius locutos. In contrariam partem nobis refragatur *Excell. KNAVVS in dem natürl. Lehn-Recht §. 294.* Hic paulo inmitior, quacunque commissa felonia, omnes successores feudales feudo exesse iubet. Expediemus hic omnes ad eo congestas rigidiusculae sententiae causas, vt cum nostris eas conferre et comparare cuius integrum sit. Feuda 1) eo pacto, inquit, stabilita ac constituta sunt, vt ordine continuo nec vnquam interrupto ad successores dignos et idoneos deferantur, 2) successores feudales sunt acquirentis heredes in feudo, indeque si non adsit hereditas, absque omni iniuria eandem amittunt. Verum enim vero

- I. fugit nos eiusmodi lex constitutionis nec, sollicitato omni iure naturali, eam ex legibus ipsius exprimere valemus. Si alicui et eius successoribus feudibus feudum concessum est, ex his verbis id quidem erui potest, successores hos esse debere idoneos, nullos vero per degeneres eos interruptos esse debere, inde deduci nequit. Torta foret et affectata ista interpretatio simulque successoribus feudalibus odiosissima. Cum autem odiosa sint strictae interpretationis, i. e. non statuenda, nisi vrgens necessitas et clarissima verborum lux suadeat, haec vero hic abunt, sequitur vt ista constitutionis lex iuri naturae illata, non ex eo elata sit.
- II. Successores feudales autem primi acquirentis, non vero subsequenti esse heredes supra §. V. et VI. satis eniñtum dedimus. Non-
dum

dum cum *Excell.* KNAVSSIO omnis composita lis est, alia ex parte iterum cum eo congregiendum erit. Diffidet a nobis *l.c.* §. 292. et 293 ratione temporis, quo successores feudales in feudum sint intromitendi, si per hypothefin, successores feudales feloniam vassalli non affligi et laedi, sentiendum sit. Argumenta sua in hunc fere modum disponit:

- I. Vassallos a tempore feloniam commissae civiliter esse mortuos, indeque casum devolutionis adesse.
- II. Dominum, collato in primum acquirentem et eius successores beneficio, tacite declarasse se nolle feudum recipere prius, quam omnes successores feudales idonei exspiraverint.
- III. Irae ac vindictae domini satis parentatum esse eiectione vassalli nec superesse illi, quod praeterea desideret. At enim
 - I. liceat nobis Viro *Excell.* in memoriam reuocare mortem civilem esse statum, quo quis pro mortuo habetur, qui mortuus vere non est, inde eam esse fictionem iuris. Cum autem fictiones iuris removendae sint, ubi leges non fingunt, leges naturales aut fingere nequeant, conclamandum est de hoc argumento, idque ut peregrinum et exterum a iuris naturae simplicitate auerruncandum.
 - II. Tantum abest, ut per concessionem feudi ad posteros transmittendi dominus tacite feudo plane se abdicaverit, ut contrarium potius ipse facto declarasse nobis videatur. Cum enim certo ordine feudum ad successores feudales devolui voluerit, ordo vero eos ante mortem praecedentis, ut ex supra dictis apparet, non tangat, tacite declaravit dominus, se nolle ante mortem vassalli cuiuscunque acquirentis successores feudales feudum nancisci, indeque se velle id sibi capere, donec moriatur vassallus.
 - III. Non vindictam spirant ea, quae ex feloniam crimine tamquam ex radice propullulant domini iura, sed ex contractus feudalis natura et indole plana sunt, indeque et hoc argumentum nos plane non ferit.

§. XXI.

§. XXI.

In feudis ex pacto antiquis, si nullum cum ipsis agnatis pactum percussum sit, nihil peculiare est, si vero eiusmodi contractus et cum iis celebratus sit, quod de effectu feloniam in feudis natura antiquis dictum §. XX., in feudis olim feuda ex pacto antiqua futuris, iam viuo primo acquirente obtinet. Per §. XI.

§. XXII.

In feudis hereditariis ratione cuiusuis ultimi possessoris idem quoad successores feudales legitimos feloniam effectus est, qui in feudis nouis obtinere dictus est §. XIX. Cum enim in omni iactura feudi, a vasallo in feudis hereditariis facta, id statuendum esse supra euietum dederimus (§. XIV.), sequitur vt idem etiam huc vocandum sit eo casu, si per feloniam vasallus feudi fecerit naufragium.

MEMBR. II.

IN STATV CIVILI.

§. XXIII.

Si homines in rempublicam coeunt, delato ad vnum vel plures reram arbitrio, tum oritur corpus quoddam populi, quod instar hominis singularis eodem modo, vt ille, in nexu feudali esse potest, tumque si feudorum dominium directum est in dominio publico reipublicae, *feuda dicuntur publica*, si vero sunt in dominio priuato alicuius, *feuda dicuntur priuata*. Publica autem prout ad eam rempublicam, penes quam est dominium directum, pertinent, vel non, dicuntur vel *domestica*, vel *peregrina*.

Inde

Inde feuda quae ad rem publicam coniunctam cum ea, quae dominium directum tenet, pertinent, non sunt feuda domestica sed peregrina, quia respublica coniuncta non est pars eius, cui adiuncta est. Quodsi itaque diuersae respublicae coaluerunt, videndum an in vnum corpus conflatae et conglutinatae sint, an vero tantum coniunctae. In priori casu omnia feuda, quae ad qualemcunque coagularum rerumpublicarum referuntur, sunt domestica, in posteriori ad vnam rempublicam pertinentia respectu alterius coniunctae non minus, quam omnium aliarum, cum ea plane non connexarum, sunt feuda peregrina.

§. XXIV.

Quae de effectu feloniae in genere congeffimus principia nemo temere et infeliciter crudia et immatura ad feuda publica domestica, et peregrina ad rempublicam coniunctam pertinentia propellat, sed de priuatis tantum et publicis peregrinis, ad rempublicam plane non connexam pertinentibus, dicta esse memento. In iis enim, quae supra de effectu feloniae diximus, contractus feudalis vtramque fecit paginam, nec aliunde contexendae probationis principium petiuimus. Inde, si praeter contractum feudalem alio adhuc nexu coniuncti sunt dominus et vasallus, diuersorum plane iurium et obligationum fonte, tunc neruus quasi succiditur iis, quae supra praecepimus, nec impune his adhuc immoramur. Cum itaque nouus eiusmodi nexus accedat in feudis publicis domesticis et peregrinis ad rempublicam coniunctam pertinentibus, nexus scilicet subiectionis, vnde maxime diuersa et dissimilia iura excrescunt, sequitur, vt in his conclusionum supra effectuarum vis reprimenda et obseranda sit.

Pari ratione et id inde conficitur, vt, quoniam in feudis priuatis et peregrinis ad rempublicam non connexam pertinentibus eiusmodi nexus non accedit, ibi etiam ea, quae
stabili-

stabilium principia (in priuatis scilicet, deficientibus legibus positius, et in peregrinis, de quibus hic loquimur, deficientibus pactis contrariis) tuto applicari et accommodari debeant.

§. XXV.

Si superior reipublicae, penes quam est dominium feudi directum, per leges fundamentales ad ea, quae supra de effectu feloniae in genere enunciauimus, obseruanda adstrictus est, in feudis publicis peregrinis, ad reipublicam conuinctam pertinentibus, et domesticis ea ita, ut ibi edicta sunt, vigent et valent. Si vero superior non tenetur his vinculis vel salus et securitas publica mutationem requirunt, vel non. Hic iterum generaliter constituta seruanda sunt, ibi collabascunt.

Si enim superior potentiam suam legibus fundamentalibus adstrinxit, ad ius naturae circa felonias religiose et exacte seruandum, tum vi pacti eum teneri dubium non est. Si vero nulla eiusmodi pacta eius imperium circumscribunt, tum quia ei pro salute et securitate ciuium excubandum est et obligatio quaeuis ius ad media parit, patet, si salus et securitas publica mutationem suadent, superiorem posse iis, quae antea iuculcauimus, terga vertere.

Quando contra ea obligatio ad salutem et securitatem publicam non exigit mutationem, etiam tum ius ad molendam mutationem deficit, sicque tum iuris naturae premeda sunt vestigia.

§. XXVI.

Si superior reipublicae leges describit ratione effectus feloniae, haec ad feuda priuata tantum reipublicae,

in qua latae, (ne reipublicae coniunctae quidem in dubio) non publica, spectant. Si vero in reipublica leges fundamentales de eadem re sancitae sunt, hae in dubio non ad feuda priuata in illa republica, nec ad feuda publica peregrina trabendae sunt, sed in solis feudis publicis domesticis adhibendae.

I. Legibus a se latis superiorem non teneri res incontrouersa est. Cum itaque in feudis publicis iura inter ipsum et subditos agantur, si de effectu feloniae sermo est, et superior sibi ipsi ius dicere nequeat, sequitur ut hoc casu ex legibus a superiore latis philosophari non deceat. Ergo cum in feudis priuatis non iura et obligationes inter superiorem et subditos, sed subditorum inter se agantur, et has determinandi ius habeat superior, in priuatis tantum feudis has leges introspectendas esse apparet.

II. Cumque leges a superiore edictae, eos tantum obligent, quibus sunt promulgatae, patet, si superior in vna tantum coniunctarum rerum publicam legem quamdam promulgauit, eam non tenere subditos alterius, nisi expresse et diferte, saltem non ambigue, superior contrarium declaret.

III. Leges fundamentales autem superiorem vincunt, itaque et iura inter ipsum et subditos stabiliunt, et feuda publica domestica in capite effectus feloniae iis attemperanda sunt.

IV. Cum autem leges fundamentales per naturam ipsis insitam, iura et obligationes inter subditos et superiorem, non subditorum inter se determinent, in dubio omnino superior, leges fundamentaliter firmando, etiam de feudis priuatis cauere voluisse, non putandus est praecipue cum renunciationes sint
tri-

strictae interpretationis, leges autem priuatas legibus fundamentalibus immiscere, re ipsa renunciatio superioris sit.

V. Pacta autem non sunt, nisi inter quos sunt inita; inde si superior pacta ferit cum subditis vnus reipublicae, quam moderatur, ideo nondum simul pactus est cum subditis alterius reipublicae quae illi coniuncta est, nec cum subditis reipublicae, cum illa plane non connexae, inde quae ratione illius reipublicae sunt leges fundamentales, ratione earum, ad quas feuda peregrina pertinent, non sunt.

CAP. II.

DE

EFFECTV FELONIAE

QVOD

SVCCESORES LEGITIMOS FEVDALES

INNOCENTES SECVNDVM IVRA POSITIVA.

SECT. I.

IPSA LEGVM FEVDALIVM POSITIVARVM IN
GERMANIA VALENTIVM SANCITA.

§. XXVII.

Cum feuda ex pacto antiqua, et successio feudalis hereditaria, non tam ex legibus positivis ortum trahant, quam e conventionibus tantum specialibus, quibus leges annuunt, deriuentur, nolumus has legitimas hominum dispositiones

C 2

ad

ad diuersarum legum positiuarum trutinam expendere, odio-
sae repetitionis fastidia aegre deuoraturi, sed generatim tan-
tum monere placet, ea quae ex iure naturae de his rebus
eruiamus, locum hic quoque inuenire, donec pactum aliud
fanciat, quae autem pacto indeterminata sunt, ea ex legibus
positiuis mutuari debere ICtum.

MEMBR. I.

DE

EFFECTV FELONIAE QVOAD SVCCESORES FEVDALES
LEGITIMOS INNOCENTES SECVNDVM IVS
FEVDALE LONGOBARDICVM.

§. XXVIII.

*Ius feudale Longobardicum in eo a iure naturae §. XVI.
discedit, quod felonias, tam erga dominum, quam erga alios,
commissas, inuehit. Nosse ius Longob. felonias erga domi-
num, et nostrum non est demonstrare, et neminem facile
praeterit. Posteriori autem propositionis parti, qua felonias
etiam erga alios commissas in iure Longobardico contineri
adstruimus, adducto in rem exemplo fides facienda est.
Hoc videtis II. F. 24. c. Denique, vbi haec verba iuuenies:*

*Si vero non dominum, sed alios, grauiter deliquit
(vasallus), vel graue quid commiserit, sicut is, qui
fratrem suum interfecit - - - feudum amittit.*

Ex his verbis perspicuum est, etiam ob delicta, quibus fide-
litas feudalis non laeditur, vasallum feudo priuari sicque haec
ad felonias referri et esse felonias erga alias (§. XV.)

§. XXIX.

§. XXIX.

Effectus feloniam, tam in dominum, quam erga alios commissae ratione successorum feudaliū eximius est, diuersus autem, sicque in hoc ius Longobardicum degenerat a iure naturae §. XVII. Huic per paragraphos sequentes, sua contabit veritas.

§. XXX.

Si primus acquirens feloniam committit, siue sit felonia erga dominum, siue erga alios commissā, omnium successorum feudaliū ius succedendi in praecipis fertur, sicque ius Longobardicum in hoc cum iure naturae (§. XIX.) amicissime conspirat. Id et a nobis praeter officium et necessitatem probaretur, et abunde colligitur ex II. Feud. 31. verbis: Vasalli feudum delinquentis -- filius ad id nullatenus adspirabit. Vnde sic argumentor. Si filii vasalli delinquentis ad feudum non admittuntur, omnes successores autem primi acquirentis sunt eius filii, sequitur vt omnes ob feloniam primi acquirentis feudo careant. Quae autem lex cum tantum loquatur de felonia erga dominum commissā, vt postea argumentis firmabimus, vide et aliam de felonia erga alios loquentem II. F. 24. § 3. verba: si tamen beneficium fuerit paternum. Hanc legem ibi de feloniam erga alios loqui, ferunt ipsius disertissima verba. Cum autem, vt sequentia declarabunt, de his statuat, vt filii ob eas feudo non priuentur, adiecta tamen restrictione, si feudum fuerit paternum, sequitur, vt, si feudum non sit paternum, sed nouum, seu, si primus acquirens feloniam erga alios committit, tum filios ipsius feudo arceri, sicque tum omnes successores feudales iure suo imminui. Vid. STRVVI S.I.F. Apkor. 13.

§. XXXI.

§. XXXI.

Si acquirens subsequens felonide erga dominum reus sit, feudo orbatu posteritas, ex latere autem coniuncti, donec haec una cum delinquente extincta sit, illud opperiantur, tum vero eius sunt compotes. Huic ut fidem conciliemus excitamus legem

II. F. 26.

vbi ita :

Si vasallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, neque filius neque eius descendentes ad id feudum reuocabuntur, sed agnati, qui quarto gradu sunt, dummodo ad eos pertineat.

et

II. F. 31.

*Vasalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit, nisi id iterum a domino licite acquirat, sibi gratiam faciente. Verbi gratia: si non sunt alii ex latere, quibus aperiatur, ad eius petitionem admittuntur, qui quarto gradu sunt remoti ab eo, qui id acquisiuit, et etiam vsque ad infinitum, dum tamen hos constet ab eo per masculos descendisse. Primo ex his legibus nobis euincendum erit, subiectum, circa quod versantur, esse felonias 1) erga dominum 2) ab acquirente subsequente commissas, ne aliam rem nos tractemus, aliam leges. Ad prius momentum quod attinet, in quo cardo rei versatur et de quo digladiantur inter se Icti, hoc ita com-
monstro: De vtraque feloniae specie legem verba facere repugnans est, rationique aduersatur.*

Cum

Cum enim leges, de his diuersis speciebus II. F. 24. et II. F. 37. diuersa sanciant, in nostris legibus autem vnicum tantum praedicatum inueniatur, sequitur, hoc non posse ambabus speciebus accommodari, sed vnicae tantum. Itaque de quanam earum hic agatur? tantum examini subiiciendum erit. Iam ita pergo: Si feloniam erga dominum innumeratae sunt, feloniam autem erga alios vna saltem et item altera, indeque illae id constituent, quod ordinarium est, hae autem id quod infrequens et rarum, pro ordinario autem in re ambigua praesumitur, sequitur, vt, quia hic legem indubia non datur intelligentia, in hac ambiguitate loqui eae de feloniam erga dominum putandae sint.

Accedit quod et ante et post legem II. F. 24. eiusque verba: *si vassallus* etc. feloniam erga dominum agitentur, feloniarum autem erga alios nec vola nec vestigium appareat, quod ex ipsius legis euolutione patebit.

Posterius momentum his tricus impeditum non est, sed ex collateralium seu agnatorum iniecta mentione satis apparet de feudo antiquo rem agi, cum in nouis nulla collateralium habeatur ratio.

Deinde autem an ea, quae diximus, de hac subiecta materia praedicentur? adhuc sciscitabimur. Iam vero id non est altioris indaginis. Posterius enim feudo abigi, satis indicant prioris legis verba: *neque filius neque eius descendentes ad id feudum reuocabuntur*, et posterioris verba: *filius ad id nullatenus adspirabit*.

Quoad eos vero, qui vasallo a latere in familia sunt, in duas partes totam quaestionem iterum digerimus, *primo* an admittantur ad feudum? *deinde* vero quo tempore? examinaturi.

minaturi. Prius euidentissime verbis legis inest, cum dicant, *agnatos ad feudum reuocari, feudum ad agnatos pertinere.* Itaque hic locus nulla difficultate laborat, nisi discesseris ab ea, quam ut anguem in herba alunt, qui fluctus in simpulo mouent, et offusa minima occulti et reconditoris sensus suspicione, velur ad umbram pestiferam tumulis excitatam rigent, desperant et animum abiiciunt. Scilicet id, quod tanto terrore formidantia pectora replet, sunt verba legis prioris: *qui quarto gradu sunt.* Hic duplex hallucinantium cohors. Sunt qui ante quartum gradum agnatos non admitti putant, sunt vero qui ante quartum gradum quidem iis gratiam faciunt, post hunc autem eos perpetua feudi iactura proscribunt. Verum quod agnatos atinet, qui ultra quartum gradum procedunt, eos bonum animum habere iubemus ex ipsis legis posterioris verbis: *qui quarto gradu sunt remoti ab eo, qui id acquisiuit, et etiam vsque ad infinitum,* vnde patet feudistam se ipsum correxisse, sicque quod de quarto gradu supra dictum erat, esse inuerso stylo expungendum. Eos autem, qui quartum gradum praecedunt, legem feudo non interdiceret, partim ex origine rei, partim ex ipsa verborum compositione indubium est. Omnis eius, quod de quarto gradu leges habent, origo ex iure antiquo proficiscitur, quod ex *I. F. I.* intelligas ubi verba: iure antiquo beneficium ad venientes ex latere ultra patruales non progredi, moderno, vsque ad septimum generulum, id factum denique nouo iure vsque in infinitum extendi, omnem possunt eximere dubitationem, ante quartum gradum agnatos admissos esse. Verborum compositio et structura autem, praesertim verba: *et etiam,* commendant, de eo tantum sollicitum fuisse Feudistam, ut sequentibus tantum ius suum, antea per errorem ademptum restauraret et redderet, de iis vero qui antecedunt nemini dubi-

dubitationem facile orturam credidisse. Eodem fere argumento vsum fuisse inuenio HARTM. PISTOR. *Quaest. Jur. l. 2. Q. 15. 18.* vbi et multa alia argumenta a viro copiosissimo fuisse et ample in vnum coacta locum ac centies repetita inuenire licet. Vid. etiam BISTSHII *Commentarium in consuet. feud. ad L. si vasallus culpam.* Posterius quod attinet, tempus scilicet, quo ad successionem admittuntur agnati, totam rem huic ratiocinio includo: In re, quam iura politica non determinant, ad ius naturae recurrendum est. Atqui iura politica hic tempus quo agnati ad feudum intromittendi sunt non stabiliunt, ergo ius naturae repetimus, quod post mortem omnium, ipsos, si felonia commissa non fuisset, praegressurorum, sicque omnium vasalli delinquentis posterorum, eos demum feudi participes fieri voluit (§. XII.). Adstipulantur plerique classici ICti singulis huius paragraphi momentis, quorum auctoritas non leue nostrae sententiae pondus addit, quorum STRVVIVS *l. c. Aphor. 14.* HORN *in Iurispr. Feud. c. 23. §. 22.* FLEISCHER *Instit. I. F. c. 21. §. 10.* ITTER *de Feud. Imp. c. 24. §. 5.* WERNHER *Diss. de amiss. et deuolut. feudi.* Apparet inde plurimos iuris feudalis interpretes nostrarum esse partium, cum contra ea paucissimi aduersa tueantur, quorum MOSERVS *in der Einleitung zum Reichs-Hofraths-Proceß c. 3. §. 82.* et BITSHCIVS. *l. c. ad L. Denique,* alique forsitan nonnulli, quos non euoluimus. Hi obtare nobis autumant leges *II. F. 24. c. fin. et 37.,* quarum prior haec est: *Denique saepe quaesitum est de vasallo propter iustam culpam a feudo cadente, utrum ad dominum, an ad successorem vasalli feudum pertineat? Sed haec distinctio tam ratione, quam moribus comprobata est, ut si quidem vasallus ita in dominum peccauit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad dominum beneficium reuertatur, ut hanc saltem habeat iniuriae suae ultionem. Si*

D vero

vero non in dominum, sed alios grauiter deliquerit, vel graue quid commiserit, sicut ille, qui fratrem suum interfecit - - - feudum amittit et non ad dominum, sed ad proximos pertinet, si tamen beneficium fuerit paternum.

Posterior autem in hanc sententiam loquitur: Si quis interfeceit fratrem domini sui, non ideo beneficium amittit, sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, vt totam haereditatem habent, vel aliam feloniam commiserit, verbi gratia: hominem tradendo, vt in curia amplius stare non possit, priuabitur beneficio, quia tamen erga dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorum feudum pertinebit, si paternum fuerit - - cum autem ad dominum respicit felonia, feudum tunc domino aperitur, quas leges ideo integras huc traduximus, quia, licet iam pars tantum earum in rem nostram sit, tamen in sequentibus id quod relinquitur, adhuc vsui erit. Verba quae hic licetis materiam seruant sunt in lege priori: non ad proximos sed ad dominum feudum reuertatur, et in posteriori: feudum tunc domino aperitur, quae verba, cum absque dubio de feloniam erga dominum (per verba legis expressa) et a vasallo subsequente commissa (per verba: si feudum paternum fuerit) loquantur, ad rem pertinere, nullus diffiteor, itaque tantum existimandum erit, vtrum antimoniam vere contineant, et quatenam, si haec adsit, inter hos scopulos salus quaerenda sit? Ac primo quidem loco antimoniam adesse nego ac pernego. Ad hanc enim pertinet, vt altera lex de eadem re id pronunciet, quod altera negat. Iam primo erit videndum an verba: feudum domino aperitur, negent collaterales suo tempore feudo amisso restitui? Apertura diuiditur in perpetuam temporariam. Non constat itaque, de qua apertura lex praecipue intelligenda sit, cum
vtra-

utraque eadem significari aequè possit. Si vero duae interpretationes legi conveniunt, quarum altera alii legi repugnaret, alia non, ratio docet posteriorem esse adoptandam. Cum autem lex nostra, si de apertura perpetua intelligatur, prioribus legibus opposita foret, si autem ad temporariam trahatur, a prioribus ne larum quidem vnguem ditcedat, quippe quae iidem feudum domino aperiri volunt, donec omnes vasalli delinquentis posteri exspirauerint, sequitur vt haec interpretatio sequenda sit. Adeo, cum hac adhibita explicatione leges conspirent, non audiendi sunt, qui hic antinomiam quaerunt. Eodem modo patet verba ambigua: *ad dominum reuertatur*, ad reditum temporarium pertinere. Submota itaque antinomia, salua est res nostra. Sed vrgemus acrius bonae causae fiducia. Pone, vere adesse antinomiam; alias leges statuere, agnatos esse admittendos, alias, eos ab eodem dimouendos; nonne ratio suadet, vt obuia repugnantia, cui nulla medicina parari potest, tum eam sententiam optemus, quae iuri naturae est conformior? Cum autem ius naturae successoribus feudalibus prospectum velic, sequitur vt agnatos admittendos esse in re desperata nostro iure statuere possimus. *Perill. MOSERVS*, vbi has leges nobis aduersari iudicauit, rationes huius opinionis non addidit, rem dubiis plane non obnoxiam arbitratus. Sed et alteram legum, quae pro nobis militant, aggredirur Vir *Perill.* (cur vero de altera ne vocem quidem mittit?) et textus *II. F. 31.* verba: *licet quandoque ad agnatos feudum pertineat*, feu, vt ille interpretatur, licet *interdum* ad agnatos pertineat, palam praedicat innuere specialem eatum, de quo hic terminus non esset, cumque hic de feloniam erga dominum commissa ediceretur, haec verba ad feloniam erga alios commissam transferendam, a feloniam erga dominum autem procul putari oportere. Verum speciosa haec obiectio praepo-

postero nititur vocis: *quandoque*, intellectu. Haec enim non solum id exprimit, quod *interim*, *interdum*, sed etiam id, quod *olim* et *aliquando*. Sic TACITVS *Annal.* 6. c. 20. *et tu Galba*, inquit, *quandoque degustabis imperium*. PLINII *Paneg.* c. 10. *ut quandoque inter posteros quaereretur, an illud iam deus fecisset?* et SVET. in *Vita D. Iul. Caes.* c. 1. *eum, quem incolumen tantopere cuperent, quandoque optimatum partibus quas secum simul defendissent, exitio futurum*. Lege itaque: licet ad agnatos *olim* pertineat, et nil nobis his verbis amicus et conformius deprehendes. BITSCHIVS ad hanc legem *II. F.* 31. *collaterales feudo exacturus, per proximos, inquit, quoties vox nuda ponitur, collaterales in legibus feudalibus intelliguntur*. Srenue dictum, quod, si diis placet, nulla eget demonstratione, ideoque hanc praeclarissimus Auctor superuacaneam duxit.

§. XXXII.

Si acquirens subsequens in feloniam erga alios prolabitur, nullus obtinet quoad successores feudales effectus, sed post ipsius e vita discessum hi, ac si non commissa esset feloniam, feudo potiuntur, sicque hic ius Longobardicum iuris naturae vestigia legit. (§. VIII. et IX.). Quoniam is est iuris naturalis splendor et eminentia, ut quoties cum iure positivo congredditur, in hoc statim principatum inuadat, et regulae instar aeternas suas normas explicet, donec eas vis probationis infringat, ex qua contraria legislatoris voluntas pateat: nec nos hac eius excellentia indignum quid fecisse putari volumus, non probaturi, positionem nostram veram esse, sed id tantum acturi, ut leges, quae ad eam conuellendam et labefactandam adferuntur, profligemus. Adferunt autem leges *II. F.* 24. et 37. supra iam interfertur. Verba verum rei continentia haec sunt: *non ad dominum sed ad proximos*

mos pertinet (feudum) et verba: *ad agnatum proximiorum feudum pertinebit*. Hic Doctorum totus fere senatus communi suffragio confurgit, et iis quidem, quibus e latere est cum vasallo delinquente necessitudinis coniunctio, ad feudum capessendum locum dari, posteros autem eius, evidentiſſima sanctione, arceri, dictitant. Inuidioſa res est, tot magnis viris peruicaciſſime obluſtari. Fateor, non parum animo fractum me eſſe, cum neminem fere ei, quam animo conceperam, opinioni accedere viderem. At enim vero leges, quarum cynoſuram ſimplici conſilio ſecutus ſum, in hanc explicationem inuita Minerua vt cogere, nulla a me auctoritas impetrare potuit. Quare ſic cenſeo: Vox: *proximos*, per ſe poſteros non excludit, ſed per naturae ſuae indolem tam ad ipſos, quam ad collaterales, pertinet, ergo in dubio eſt poſteri ei ſubeſſe praefumendi ſunt. Efficax itaque ratio adeſſe deberet, quae contrarium ſuaderet. At tantum abeſt, vt haec adſit, vt potius noſtram praefumptionem firmiſſima argumenta confirment. Sic enim ego: Etiamſi et admitti et arceri aequa interpretatione poſſent poſteri, tamen interpretationis lex eſt, inter duas interpretandi vias, eam oprandam eſſe, quae eſt iuri naturae accommodatior et congruentior. Cum itaque haec, qua poſteri feudo admouentur, eius indolis ſit, ſequitur vt haec alteram multis paraſangis relinquat. Vox: *proximiorum agnatum* ſollicitos habet ICTOS, quoniam agnatos poſteros dicere, ſine exemplo eſſe exiſtimant. At vero id non ſine exemplo eſſe, patet ex l. 12. ff. de ſuis et legit. hered. vbi filius proximus patris agnatus dicitur. Vt adeo haec vox, cum alia non adſint argumenta, ſola a nobis tranſuerſos agere eos non debeat. Accedit et hoc, vt per oppoſitionis vim, leges in felonii erga alios commiſſis diuerſum quid a felonii erga dominum itatuere voluiſſe neceſſe ſit. At ſi hic poſteri ae-
que

quae interdicerentur feudo, ac in feloniis erga dominum, admissio collateralium in vtraque specie iuxta esset; quaeenam remaneret differentia? Causam itaque nostram orant omnia. Non enim admittimus eam differentiam quam doctores ratione temporis, quo agnati ad successionem vocandi sint, architectantur, cum in felonia erga dominum agnatis suo tempore commissae feloniae, feudum adeundi copiam faciunt. Dum enim leges proximos ad feudum admitti, nulla temporis, quo admittuntur, facta mentione, sanciant; hoc tempus aliunde, nisi e iure naturae, peti non posset. Cum itaque hoc neminem, nisi suo tempore ad feudum admittat, supina licentia hoc illis ius accelerarent Doctores.

Parum etiam sibi constant qui in vtraque feloniae specie de posteris eodem modo statuunt. Hi enim verba *II. F. 24.* „non ad *proximos*, sed ad dominum, beneficium reuertatur, ita explicant: non ad *posterios*, sed ad dominum, beneficium reuertatur. Collaterales enim hic non intelligi equis virisque contendunt. Verba autem eiusdem legis: „non ad dominum, sed ad *proximos* pertinet, ita explicant: non ad dominum sed ad *collaterales* pertinet. En imitandum interpretationis specimen. Nihilominus tamen ad hanc sententiam amplectendam obstinati sunt omnes fere, qui supra nostrates erant, *FLEISCHER l. c. HORN. ITTER. WERNHER II. cc. STRUV. l. c. et SCHILTER ad Struuii S. I. F.* qui habet Consilium huc pertinens p. 134. His viris et hoc opponere possemus: in legibus dicitur, feudum non ad proximos seu, ut volunt nobiscum, posteros, pertinere, ut hanc habeat iniuriae suae vltionem dominus. Inde filiorum exclusio vindictae loco indulta est. Cum autem hoc in felonia erga dominum dictum inueniamus, in felonia erga alios omissum, sequitur, ut hic vltioni non sit locus. Si huic non est locus, oportet etiam id, quod vltionis obiectum est, exclusionem scilicet posterorum exulare. Si liceret ex aliorum temeritate excusationem sibi parare, nostro, quod ab innumeris Doctoribus facimus, diuortio et id obtendere possemus, quod

quod ROSENTHAL in *Tract. I. F. c. II. concl. 4. n. II.*, vna cum CYNIO ibidem laudato, omnes felonias omnibus successoribus feudaliibus innoxias esse, pronunciet. Quo vero audaciae cum non procedamus, vt omnes leges nihili ac flocci pendere cum hoc auctore valeamus, aliorum hoc allegasse nolumus, nisi vt appareat, nondum nos ad audaciae fines processisse, sed esse adhuc, qui nobis palmam praeripiunt.

§. XXXIII.

Quicquid de effectu feloniae quoad successores feudales legitimos tradidimus, valet de feudis tam datis quam oblatis, tam gratiosis quam onerosis, et non tum solum, si vassallus delinquens, iam feudum tenet, sed tum etiam, si auo adhuc feudum tenente, filius delinquit, quoad nepotes idem, qui supra traditus est effectus obtinet. Ratione feudorum oblatorum et onerosorum ita argumentor. Lege non distinguente et nobis distinguere nefas est, atqui leges absque vlla distinctione praecipunt, ergo distinctiones et differentias, perperam architectemur.

Ratione casus autem postremo loco positi ita censeo: Si, vt a vasallo possessore, ita a vassallis futuris, feloniam committitur, sequitur vt, qui in illo feloniam effectus est, idem in his quoque obtinere debeat. Iam vero si filius feloniam committit, patre feudum tenente, committit feloniam vasallus futurus, inde sequitur, vt hoc casu effectus plane non discrepent. Maioris autem propositionis veritatem et ratio et Doctorum auctoritas firmat. Nam nec leges felonias solis vasallis possessoribus tribuere probari potest, et habent vasalli futuri non minus, quam possessores, quod domino acceptum ferant, spem scilicet feudum quondam nanciscendi, et militat pro nobis STRVV. *Synt. I. F. C. 15. Apb. 10. n. 6.*

In feudis oblati et onerosi id, quod iure Longobardico de effectu feloniam statutum, applicari non posse sunt classici Viri, qui non contendunt. Sic REIFFING. *ad Vir. T. 2. l. 2. t. 1. §. 12. p. 937.* nullo modo vasallo aut eius descendenti in his feudis feloniam luctuosam esse posse strenue propugnat. et DE LVDEWIG in *Comm. ad A. B. T. 2. p. 393. n. 4.* in Germania in feudis imperii, rigorem legum iniquissimum esse magno cum apparatu demonstraturus, inter alias argumenta et hoc adfert: *Dass der Reichs-Stände ihre Lande aus aufgetragenen Lehen beständen, folglich der Kayser mit solchen nicht dergestalt als mit Gnaden-Lehen verfahren möchte.* V. etiam WERNER *Diss. de amiss. & devolut. feudi §. 59.* Nostris autem e paribus sunt THOMAS. *Diss. de feudis oblati §. 61.* aliique, quos excitat. Il qui contrarias partes tuentur, eam animo imbibere sententiam, plane non statuere ius Longobardicum de feudis oblati, quoniam eorum ne nomen quidem in eo obitum esset, itaque infelicitate, quod tibi dicitur, ad feuda oblata applicari. Verum pone, feudorum oblatorum nomen in iure Longobardico non occurrere et ignota plane esse haec feuda legibus, quae tamen res nondum omni dubitatione maior est, licet in ea sententia sint THOMAS. *l. c. §. 3. seq.* et STRVV. *Elem. Iur. Feud. §. 173.*, num ex hoc sequitur, de iis non disponere ius Longobardicum? Vbi nam loci sancit ea, quae in feudis statuit, ad feuda data esse restringenda? Sane vereor, ne infestum potius, quam propitium sit structum ab huius sententiae patronis argumentum. Fertur enim tritum inter Ictos verbum: distinguenda non sunt, quae distincta non differunt. Cum itaque l-ges distinctionis inter feuda data et oblata mentionem plane non faciant, ad veritatem proxime accedere videtur, differentiam plane in his leges statuisse, indeque otiosae distinctioni noluisse fastidiosè immorari. Qui feudum a delinquente ipso profectum tantum per feloniam iure Longobardico amitti posse praedicant, quid respondebunt legi *II. F. 26. domino committente feloniam*, ubi dominus feudo priuatur, si feloniam commiserit, licet, vt contrariae opinionis propugnatores dicitant, de feudis datis tantum sermo sit, indeque a domino ipso profectis? In iure ciuili toleratur lex commissoria, licet per hanc exigua interdum intercedente culpa rerum a me laboriosissime haud raro

raro paratarum pleno dominio misere extuar. Eximia itaque et singularis iniquitas non est, si re, in qua non nisi partem domini ad huc teneo, in perfidiae poenam priuer. Posterior, quem allegauimus, casus multa cum veritatis specie fallit, ideoque mirum non est, eum illuisse nonnullis Ictis, quorsum inter alios WERNER l. c. Auo enim feudum tenente, successissent nepotes, patre interim vita functo, inde pater, interum remotus, commode pro mortuo haberi posse videtur, sicque, tamquam plane non adfuisset pater, nepotes qua nepotes ad feudum adspirare, quid prohiberet? praesertim cum non dissimile in iure ciuili exemplum nepotum, repudiata patris hereditate aui hereditatem cernentium, inueniatur. Verum cum pro mortuo habere, qui mortuus vere non est, non nisi ex speciali legum indultu liceat, hic vero in iure Longobardico non reperiatur, ex iure ciuili autem peculiare priuilegium ad ius Longobardicum transferri nequeat, patet, hanc esse tantum quamdam opinionis praedudicatae nubem, quae meditatione & ratione facile dispellitur.

§. XXXV.

Si res, quae feudum facta est, fuerit allodialis auita, ratione feudi natura antiqui nil peculiare est quoad effectum feloniae, ratione noui autem adest differentia, quae in eo consistit, ut, quod de effectu feloniae in feudis natura antiquis dictum, in feudis nouis iam obtineat. Cum enim in allodiis auitis obtineat successio ex pacto et prouidentia maiorum, in feudis antiquis vero etiam haec successio vigeat, sequitur, ut peculiaris rei, quae feudum est, indoles hic mutare nihil possit. Cum autem in allodiis auitis sit successio ex pacto et prouidentia maiorum, in feudis nouis vero hereditaria, sequitur, ut effectus feloniae ordinarius in feudis nouis hic obtinere nequeat. At vero, cum in feudis antiquis successio ex pacto et prouidentia maiorum etiam stabilita sit, necesse est, id quod de feudis antiquis dictum, iam valere in feudis nouis ex allodiis auitis oriundis.

E

Hoc

Hoc est illud, quod tantopere crebrius exagitat LVDEWIGIVS, ubi vesanam communium de feudis praeceptorum ad feuda Germanicam applicationem ostendere studet. Scilicet feuda germanica ex allodiis auitis orta serio inculcat, cumque eiusmodi allodia in Italia non fuerint, in alio plane orbe versari ius Longobardicum et communia principia, ideoque cum insigni iurium dispendio praecipiti et praecoci studio ad feuda Germ. trahi, ut etiam videre licet in *Comm. ad A. B. p. 393. n. 1.* Verum cum feuda Italica antiqua non minus in dominio totius familiae habita fuerint, quam allodia auita Germanorum, diuersa plane subiecta hic non sunt, sed quod de vno valet, impune ad alterum potest transferri. Id vero lubentes et volentes concedimus, in feudis nouis granum salis esse adhibendum, ut adeo ex parte LVDEWIGIO aditipulemur ratione praeposterae iuris feudalis communis ad feuda Germanica applicationis, ex parte vero eidem refragemur, differentiam omnem remouentes et negantes.

MEMBR. II.

DE

EFFECTV FELONIAE QVOAD SVCCESORES FEVDALES
LEGITIMOS INNOCENTES, SECVNDVM IVS
GERMANICVM.

§. XXXVI.

Antiquis Germanorum moribus, si a coniuncta manu discesseris, quae iam inde a longinquis temporibus Germanis in deliciis fuit, ratione effectus feloniae quoad successores omnia ad ius naturae composita fuere, ita ut in feudis antiquis successoribus feudilibus feloniae vasalli non obessent, in novis autem plena toleraretur amissio, in omni vero aperturae casu

casu feudum ad dominum directum deuolueretur. Priscis Germanicis iam arruisse coniunctam manum docet de LV-DEWIG *Diff. de Diff. Iur. Comm. et Sax. in simult. Inuest.* eamque fere vniuersalem fuisse tradit SCHILTER *Diff. de Simult. Inuest. Princ. Imp.* In reliquis autem iuri naturae impense litasse et sponte praesumendum est, praesertim in populo aequitatis naturalis in omnibus fere tenacissimo, et per leges antiquas et exempla rei indubia fides conciliari potest. Sic enim in feudis antiquis eos successores feudales feloniam vasalli manentis feudi dispendii exsortes esse voluisse patet ex *Iure Feud. Alem. c. 89. § 7.* vbi sancitum: *Die Kint sollen des Vatter schulde nat entgelten da su selber Schulde nat en hant, wenne das wer wider Gott und wider das Recht.* Hunc autem locum ad feuda noua non applicari et facit verborum ambiguitas, indeque pro iure naturae interpretatio, et Doctorum auctoritas, quorsum ille egregius iuris Germanici propugnator et patronus Perill. DE SENKENBERG *in Iur. Feud. prim. lin. §. 400. in fin.* Ius feudale Saxonicum antiquum ea de re nihil tradit, indeque in terris iuris Saxonici idem valuisse, quod in terris iuris Alem. viguit, credibile est. V. SCHILTER *Comm ad Ius Feud. Alem. ad c. 89 §. 7.* Ad dominum directum autem rediisse feudum, per feloniam apertum, patet ex DODECHINO seu qui hunc continuauit, MARIANI SCOTI, qui ad annum 1125 haec habet: *Rege apud Ratisbonam in conuentu principum inquirente, praedia iudicio proscriptorum a Rege, si iuste fori factoribus abiudicata fuerint, vel pro his, quae regno attinent commutata, virum cedant ditioni regiminis vel proprietati Regis? Iudicatum, potius regiminis subiacere ditioni, quam Regis proprietati, nec non e CAESARIO HEISTERBACENSI in Vita Engelberti, Archiep. Colon. apud SVRIVM in vitis Sanct. T. 6. n. 7.* vbi haec tradit: *Proscri-*

ptionem Friderici, (scilicet Comitis Isenburgici, qui Engelberto manus intulerat) in celebri conuentu Norimbergenfi factam, renouauit, (scilicet Imperator) omnibus ei abiudicatis tam allodiis quam feudis. Feuda libera adiudicata sunt dominis suis, allodia proximis.

§. XXXVII.

Postea per A. B. a. 1356 sancitam, constitutum est, ut criminis laesae maiestatis reus, i.e. qui cuius imperii, Caesaris aut Electoris, aut qui subditus reliquorum dominorum territorialium, domini sui territorialis necem machinaretur, is cum posteris feudo exigeretur, feudo ipso non domino directo, sed fisco caesareo addicto.

A. B. c. 24.

Si quis cum Principibus, militibus vel priuatis, seu quibuscunque personis, plebiis etiam, scelestam factionem, aut factionis ipsius inierit sacramentum, de nece venerabilium et illustrium principum, nostrorum et S. R. I. tam ecclesiasticorum quam saecularium principum Electorum seu alterius eorundem, (nam et ipsi pars corporis nostri sunt -- --) ipse quidem, utpote Maiestatis reus, gladio feriat, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. Filii vero eius -- -- a materna vel auita -- -- successione habeantur alieni. Haec lex per expressa verba tantum de morte electoribus structa loquitur, per argumentum tamen ex lege ductum ad Imperatorem et reliquos status imperii potest prolatari. Quod enim ad Imperatorem attinet, procliuus est ratiocinatio: Si de Electoribus, ut imperatore minoribus, facta luctuosa et cruenta sanctio, quid de Imperatore ut Electoribus eminentiore

tiore censendum, vbi is nefario scelere petitur? V. MOSERI R. H. R. *Process.* c. 3. §. 38. Ad reliquos dominos territorialia-
les autem lex hoc argumento extenditur. Si ratio, cur re-
gidissimo supplicio in crimen, de quo lex loquitur, anim-
aduersum est, consistit in maiestatis, quae laesa est, erminen-
tia, maiestas autem dominorum territorialium eadem est sub-
ditis eorum, quae subditis Imperii est maiestas imperii, se-
quitur, vt de hac ad illam valeat conclusio. Quod autem
a *subdito tantum reliquorum dominorum territorialium cri-*
men laesae Maiestatis patrari possit, inde est, quia per notio-
nem huius criminis naturalem maiestas laedi non potest, ni-
si ab eo, qui maiestati subest, cum itaque qui non
est subditus domini territorialis eius maiestati non sub-
sit, sequitur, vt is in eos crimen laesae maiestatis com-
mittere nequeat. V. STRYKII V. M. l. 48. t. 4.
§. 4. Cum autem per verba legis: „*si quis cum principi-*
bus„ pateat, et principes, sicque inter subditos non refe-
rendos, posse hoc crimen in Electores committere et ratio
addita legi: „*nam et ipsi pars corporis nostri sunt*„ eodem
conspiret, partem maiestatis imperii iis inesse docens, cui
omnes ciues imperii subsunt, sequitur, vt et *ciues imperii*,
qui ciues in Electorum prouinciis non sunt, in hos tamen
criminis laesae maiestatis rei fieri possint. V. MOSERI R. H.
R. *Process.* c. 3. §. 83. Ad feuda vero, non ad allodia tantum,
spectare hanc legem ex generalitate constitutionis: *omnibus*
bonis fisco etc. et commentatorum auctoritate probamus, quor-
sum ITTERVS *de Feudis Imperii* c. 24. §. 5. MOSERVS *in dem*
R. H. R. *Process.* P. 3. c. 3. §. 83. *seqq.* quicquid contra videat-
ur LVDEWIGIO *in Comm. ad A. B.* qui omnibus, quae fe-
dulo congestit, argumentis nil efficit, nisi vt pateat, legem
hanc incommodius in Germania statuam, et deterius rerum,
quae tempore Aureae Bullae in Germania erat, rationi ac condi-
tioni

tionem, quam reipublicae Romanae antiquae, in qua haec lex nata et postea, totidem verbis in A. B. translata fuerat, conuenire. Sed alia quaestio est, an lex vere de feudis agat? an vero ea, quae statuit lex, seuerius & incommo- dius edicta sint? Posterius euictum dedit LVDEWIGVS, prius amoliri non potuit. Nec de feudis immediatis tantum, sed de mediatis etiam rem agi, apparet ex priuatorum in hac lege iniecta mentione, qui sane feuda immediata non habebunt. Et licet quoad mediata obiici possit, ea non fisco caesareo, sed domino territoriali fuisse addicenda; respondemus tamen, hisce temporibus Imperatores ius fisci, ut multi demonstrant, sibi etiam in mediatis arrogasse. Alias enim ratio reddi non possit, cur domini territoriales capitulationibus recentioribus denum sibi, ut Imperator ab hac licentia sibi temperaret, stipulati fuissent. De posteris etiam, omni successione priuandis, expressissimis verbis statuit, ratione collateralium vero nihil quidem determinatum est, cum autem Imperatores bona ut confiscata spectarent, quantopere collateralium rationem habuerint, quilibet facile aestimabit.

Iam in legibus Wisigothicis, Francorum, Baiuoriorum, Alemanorum et Saxonum de Crimine Laesae Maiestatis cruentas deprehendi constitutiones, nouimus, qua de re fusius egit HEINERICVS *Elem. Iur. Germ. T. 2. l. 2. §. 125 seq.* Sed quoniam hae leges vsu legali destitutae, nolumus antiquitatis amore vterius prouehi.

§. XXXVIII.

Longo interuoluto temporis spatio, a. 1595. in Constit. Pac. Publicae, seruatis iuris naturae aequi bonique legibus, sancitum est, ut vasalli, pacis publicae violatores, feudis
ar-

arcerentur, et, donec vita fungeretur vasallus, temporaria domino directo apertura conflaretur. Non minore vero interiecto temporis interuallo, 1548, recentiori constitutione de pace publica, nonnihil immutata est prior sanctio. Distinctum enim est inter crimen fractae pacis publicae erga dominum directum commissum, et id, quo in alios Imperii ciues iniurius fieret vasallus. In priori casu decisio ad ius feudale commune remissa, in posteriori autem prior constitutio repetita, ea tamen proposita posteris vasalli conditione, ut laeso satisfacerent. Quod idem totidem verbis in Ord. Cam. de anno 1555. P. 2. T. 9. §. 2. confirmatum fuit. Haec omnia patent ex ipsis, quae nunc sequantur, legum verbis: „KOENIGL. LAND - FRIEDEN ZU WORMS 1495. §. 3. in fin. „Es sollen auch die Lehen, so viel der Uberfabrer deren gebraucht, dem Lehen-Herren verfallen, und sie derselben Lehen, oder derselben Theil, so lang der Fried-Brecher lebt, ihm oder andern Lebens-Erben zu verleiben, oder deren seimen Theil zur Abnutzung, folgen zu lassen nicht schuldig seyn. „LAND-FRIEDE von 1548. T. 3. §. 1. „ Es sollen auch die Lehen, - - - - - vt supra, noch seimen Theil zur Abnutzung derselben Lehen-Güter, so viel deren über notdürftige Versekung und Bestellung iährlich übrg bleiben, dem Kläger oder Beschädigten, auf Mäßigung Unser, und in unserm Abwesen, Unsers freundlichen Lieben Bruders, des Röm. Königs oder Unsers Kayserl. Cammer-Gerichts zu geben und zu antworten schuldig seyn, so lang der Fried-Brecher lebt, oder bis iesz gemeldter Fried-Brecher mit dem Beschädigten sich vereinigt und vertragen hat, und er der Acht erledigt ist. Und wenn nun die Sachen zwischen dem Aechter und dem Beschädigten vertragen und verglichen ist, so soll der Lehen-Herr dem gewesenen Aechter oder Fried-Brecher die Le-

Lehen wiederum zustellen: dergleichen wo der Aechter in Acht stirbt, und seines Leibes Lehen fähige Erben sich mit dem Beschädigten verglichen, und die Lehen ihnen darauf zu verleihen begehren, denen soll der Lehen-Herr statt thun, und die Lehen, wie an jedem Orte gebräuchlich ist, zu leihen und zuzustellen schuldig seyn; doch soll in solchem Fall den Agnatis an ihren Lehens-Rechten und Gerechtigkeiten hierinn nichts benommen seyn. Wo aber der Fried-Bruch wider den Lehen-Herren geschehen wäre, so soll derhalben, was hierinn das Lehen-Recht vermag und gebräuchlich ist, gehalten werden. Conf. GAILIVS de pace publica L. 2. Cap. 13. 14.

§. XXXIX.

Sub haec tempora Imperatores ab antiqua consuetudine, qua feuda felonis aperta, dominis directis cedere solebant, recedendi licentiam sibi indulgisse, ad fiscum suum omnia reuocantes, siue ad suum et imperii, siue ad aliorum Imperii membrorum dominium directum pertinerent, supra iam monuimus. Neque id in crimine laesae maiestatis solum, sed aliis etiam in casibus obtinuisse, memoria est. Hinc Electores ingrassanti malo et latius serpenti medicinam paraturi, anno 1630. Cap. Ferd. III. Art. 28. fidem ab Imperatore acceperunt, se nolle in posterum feuda, quorum dominium directum penes dominos territoriales foret, pro libidine inuadere et sibi vindicare, verum id ius dominis suis postliminio restaurare et illaesum relinquere. Verba Capitulationis FERDINANDI III. l. c. haec sunt: Wir gereden und versprechen auch, daß Wir die Chur Fürsten und Stände des Reichs mit ihren angehörigen Lehen, sie seyen auch

auch gelegen wo sie wollen, wenn derselben Vasallen oder Unterthanen solche ex crimine laesae Maestatis oder sonsten verwürket, nach ihren Willen schalten und walten lassen, keinesweges aber dieselbe zum Käyserlichen Fisco emziehen, noch ihnen vorige oder andere Vasallen aufbringen. Imperatores autem ius fisci auidius prolataisse et probat ipsa Capitulatio, quia alias ab hoc timore sibi non tam sollicitè prospecturi fuissent Electores, nisi impotens Imperatorum hac in re studium compertum habuissent, et testatur LIMNAEVS in Cap. Imp. et Reg. Rom. Germ. Annot. ad art. 28. Cap. Ferd. III. sub verbis: Keinesweges aber dieselbe zum Kayserlichen Fisco einziehen.

§. XL.

Nondum vero omnis sublata erat mali lues, sed alia adhuc ratione pristino iuri nuncium mittebant Imperatores, dum feuda ob proscriptionem aperta ad perpetuam ipsorum proprietatem reuertisse censerent, nec ullam posterorum agnatorumque quorumcumque rationem habendam crederent. Testes locupletes sunt tot in annalibus publicis obuia exempla, quorum id, quod in causa Würtembergica VLRICI Ducis, in Saxonica IOANNIS FRIDERICI Electoris, Palatina et Mantuana accidit. Quos casus singulos fusius persecutus est MOSERVS l. c. §. 78., et in eadem rem plura edidit de ZECH in Diss. de Proscript. Stat. Imp. R. G. §. 22. Praecipue, quae in causa Palatina in vtramque partem agitata sunt, vide apud PFEFFING. ad Vitv. T. 2. l. 2. §. 12. sub nota: delictum seq. ut hi in enumerandis hisce rerum gestarum exemplis orium nobis fecisse videantur.

F

§. XLI.

§. XLI.

Hinc Electores rei odiosissimae, et quae omnibus facile similis subeundi discriminis periculum portenderet, obicem ponendum iudicarunt. Inde Cap. Caroli VI. Art. 20. sanctione iam in Proi. Cap. Perp. contenta, et in capitulationibus CAROL VII. tam, quam FRANCISCI I. repetita, cauerunt, ut in feudis immediate Imperatori subiectis, ob quodcunque delictum, ob quod vasallus, qui status imperii est, feudo privari potest, nec posterius huius, nec collaterales ullo in dispendio essent. Conspirant Cap. Car. VI. art. 20. et Proi. Cap. Perp. verbis: *Gestalten auch ich im Heil. Röm. Reich bey solchen verwürkten Gütern des Aebters desselben Verbrechen denen Agnaten und allen andern so Anwartsung und Recht daran haben und sich des Verbrechens in der That nicht theilhaftig gemacht an ibrem iure succedendi in feudum nicht praevindiceren etc.* Iam addit Cap. CAROLI VI. sondern das Principium, als ob auch agnati innocentes des feudi zu priuiren, keinesweges statt haben soll. Haec constitutio vera interpretum crux est. Fluctuantur summi iuris publici doctores, nec consilii nec auxilii copiam inveniunt, adeo, ut vterque MOSERVS, pater et filius, ille in dem R. H. R. Proceß l. c. hic vero in der Staats-Grammatic p. 156., rem non nisi per interpretationem authenticam decidi posse, omni abiecta spe salutis, existimet. Verum periclitemur, num in tanto turbine ad scopulum saltim aliquem emergere et euadere possimus? Primo de feudis, immediate tantum Imperatori subordinatis legem agere, partim ex eo pater, quod Electores iuribus Imperatoris tantum limites ponendi mentem habuerunt, in feudis mediatis vero iam inde a FERDINANDI III. temporibus Imperatori nihil iuris competiit, inde nec limitari debuit; partim ex disertis Capitulationis verbis: *Iedoch*
so

so viel die Particular-Lebne, so nicht immeditate von Uns und dem Reiche, sondern von andern herrühren, betrifft, dem Lehen Herren, auch sonsten der Cammer-Gerichts-Ordnung und einen jeden an seinem Recht und Gerechtigkeiten unbeschadet. Qui de feudis mediatis etiam sancire putant capitulationem, prouocant ad verba in dicto Art. 20. ab initio obuia: *Churfürst, Fürst oder Stand oder ANDER:* verum, cum haec vox anceps et ambigua sit, luculentissimae loci, a nobis adducti, sententiae luminibus non officit. Vid. MOSERVM l. c. §. 73. Secundo de quouis delicto, ob quod Status Imperii feudo priuari potest, legem esse intelligendam, inde patet, quod lex de casu proscriptionis loquitur, extra hunc autem per obseruantiam Imperii et consensum iuris publici Doctorum Status Imperii terris suis exui nequit. Sic enim, vbi omnia supra excitata exempla euolueris, semper proscriptionem praecessisse, tum vero demum secutam terrarum iacturam, inuenies. Dignitas enim et excellentia statuum imperii indignae reliquorum casuum, ex iure peregrino forsan de promptorum, applicationis impatiens est, quod omnes largiuntur. Vid. MOSERVM l. c. §. 71. et fusius ac solide rem tractat SPENERVS *Diff. Examen Longobardicae Doctrinae de Felonia ad Stat. Imp. communiter applicatae*, vbi vera aestimandi statuum felonias norma §. XXI. et, omnes casus in obmotis exemplis eius esse indolis, vt proscriptio ibi locum habuerit, probatio §. XVI. seq. prostat. Sic etiam TITIVS in *Spec. I. P. L. 4. c. 8. n. 3 p. 463.* Quae, inquit, de delicto seu felonia ex iure Longobardico afferuntur, libertati procerum Germanicorum vix conueniunt: hinc putem statum imperii non aliter territorio priuari posse, quam si hosti lem plane erga Rempublicam animum induat. Non alia itaque caussa, quam quae ad proscriptionem sufficit, in statu imperii vt felonia consideratur, quales vero hae caussae sint

collige e PFEFFINGERO ad *Vitr. T. 1. l. 3. t. 4. §. 9. seq.* Tandem tertio, non collateralibus solum, sed et ipsis posteris feloniae rei, eam non nocere ita probo: iam ante hanc capitulationem per leges imperii prouisum erat, ne posteris Imperii vasalli, saltim in reliquis, praeter crimen laesae Maiestatis, casibus, felonia eius oneri esset, nec fere in villo casu plerique status male ominatam in feudis Imperii Aureae Bullae constitutionem in dispendium et detrimentum posterorum applicari, patienter tulerunt, sed coortos semper illustres, ex iis etiam, quos res plane non tangeret, innocentis posteritatis propugnatores, annales docent. Praecipue in causâ Palatina notabile, in publicis hac in lite digladiationibus apud PFEFFINGERVM, Electores, Saxonicum et Brandenburgicum, et omnes congregatos imperii ordines ad propositionem caesaream respondisse inter alia: *Zudem wäre bey der angedeuteten Translation wohl zu consideriren, wenn gleich des Pfalz-Grafen halber kein Bedenken bevor wäre: Ob auch seine Söhne, als welche vor ihres Vaters Verbrechen ihr ius quaesitum auf die Chur-Pfalz prouidentie Maiorum gehabt, praeteriret werden könnten?* Iam cum iterum iterumque status in diuersis obuiis casibus, eandem rem formidine exempli arciter et aestuantes defendunt, tandem patriae amore Electores ea in re Imperatoris licentiam arctius circumscribere, pio consilio in animum inducunt, et Capitulationi Caroli VI rem inferunt his verbis: *daß des Aechters Verbrechen denen Agnaten und allen andern, so Anwartung und Recht daran haben, an ihrem iure succedendi in feudum nicht praeiudiciren solle.* Quis est qui cum lucem historiae, secundum ea, quae hactenus explanauimus, ad haec verba adferat, non continuo Illustrissimi Corporis mentem coniectura adsequatur? *Agnaten und alle andere so Anwartung und Recht an den Gütern haben,* non possunt non

non esse omnes successores feudales, cum nec vox: *agnatus*, tam collateralibus propria sit, vt non de posteris quoque interdum praediceretur, nec absque vi verbis illata, ab *ALLEN ANDEREN* die *Anwartung und Recht an den Gütern haben*, posterius secerni possint. Patet inde, non obscure locutos Electores, nec inde prodesse iis, qui posteris duriores sunt, regulam illam: renunciationes strictae esse interpretationis, indeque renunciationem pristinae libertatis ab Imperatore factam, in re ambigua non esse ad posteros prolatandam. Accedit, quod nec desint, qui idem defendunt, veluti PFEFFINGER l. c. et Auctor *spicilegii observationum ad Capit. CAROLI VI. quam WEGELINVM* esse constat, p. 267. seqq. qui ex instituto hanc tractat quaestionem: *Num, quod noua haec lex agnatis bannitorum indulget beneficii, etiam filios eorum, nepotes et reliquos in recta linea descendentes complectatur?* ad quam affirmatiue respondet, et praesertim hoc vitur argumento: *Nec deficit argumentum a pari, si veteris constitutionis in pacis publicae turbatores a. 1548. latae tenor euoluatur. Etenim in supra pluries allegato titulo: die Poen der Fridenbrecher: eo casu quo fractae pacis crimen in alium, quam feudi dominum, admissum apparet, post mortem banniti filius eius et ultra genitis (seinen Leibes Lehenfähigen Erben) dummodo, laeso satisfecerint, feudorum ad tempus amissorum investituram concedendam esse, summa aequitate statuitur atque hoc ipso rigor feudalium consuetudinum mitigatur. Eecum ergo hodie in altero casu quo veteris poenae in filios aequae ac agnatos extensae remissio generali locutione facta, idem aequitatis fundamentum in filijs desiceret, hique adeo deterioris conditionis, quam agnati, quibus nunc utrobique prospectum, haberentur; praesertim cum solida differentia inter utroque iuxta superius dicta, monstrari nequeat.*

SECT.

S E C T. II.

DICTORVM AD VARIAS FEVDORVM IN
GERMANIA SPECIES applicatio.

§. XLII.

Feuda publica Germanica sunt, duorum dominium directum in dominio publico reipublicae Germanicae contentum. Iam vero, cum duplicis generis respublicas Germanicas habeamus, maiorem, cui multae aliae minores subordinatae, quam constituit Imperator et Imperium, et minores huic subiunctas; feudum publicum cuius dominium directum est penes Imperatorem et Imperium, dicitur *feudum imperii*, cuius dominium directum autem in dominio publico Imperantium in Prouinciis Germanicis est, vocatur *prouinciale*. Feuda omnia publica, siue imperii siue prouincialia, diuiduntur in *peregrina* et *domestica* eo sensu quo supra (§. XXIII.) secundum ius naturae definita. Feuda imperii peregrina hodie sunt *Italica*. *Feuda priuata* sunt, quorum dominium directum in dominio priuato alicuius contentum, et hinc, prout sunt in dominio priuato priuati in Germania, vel in dominio priuato Imperantis in prouinciis Germanicis, sunt vel *feuda priuata in specie sic dicta*, vel *feuda iuris priuati Illustrium*.

§. XLIII.

*In feudis Imperii peregrinis et in feudis priuatis re-
rumpublicarum cum Germania coniunctarum, nec ea quae
secundum ius feudale Longobardicum (§. XXX. seq.), nec
ea, quae secundum ius feudale Germanicum (§. XXXV.
XLi.) de effectu feloniae quoad successores feudales legiti-
mos*

mos innocentes dicta sunt, per se valent: sed in feudis imperii peregrinis, ad rempublicam cum Germania plane non connexam pertinentibus, qualia, licet hodie desint, olim tamen non defuerunt, solius iuris naturae leges essent sollicitandae, in feudis peregrinis imperii autem ad respublicas cum Germania connexas pertinentibus, qualia hodie sunt Italica, secundum iura quae in republica, ad quam pertinent feuda, quid iustum sit, definiendum, sicque in Italica per accidens vnice secundum ius Longobardicum, quod idem de feudis priuatis Italiae tenendum. Quod ad feuda imperii peregrina prioris generis atinet, hic sola ea, quam iure naturae (§. XXVI.) dedimus, demonstratio repetenda est.

Ratione feudorum Italicorum tam publicorum quam priuatorum autem ius Longobardicum et Germanicum obtinere non posse, inde patet, quod leges Germanicae sint in Germania sancitae, Longobardicae vero in Germania receptae, inde nec illarum sanctio, nec harum receptio, in se ad rempublicam coniunctam Italiae pertinet. Cum tamen ius Longobardicum Italicorum sit ius patrium, illud per accidens valet in causis feudorum Italicorum.

Inde in causa Mantuana pro Duce Quastallae deducta semper ex iure Longobardico derivata inuenies, cum contra ea perperam in iis, quae huic opposita sunt, scriptis interdum omnia iura tam Germanica, quam Longobardica concumulata sint. Conf. *Die gegenwärtig. Verfassung der Käyserl. Regierung, wie solche in Caroli VI. Wahl-Capitulation enthalten, in appendice documentorum ad Art. 20. p. 487.*

§. XLIV.

In feudis Imperii domesticis ea, quae de effectu feloniae quoad successores feudales legitimos innocentes secundum I. F. Lon-

F. Longobardicum (§. XXX. seq.) dicta sunt, non valent, sed potius vnice ex principiis iuris Germanici (§. XXXVI. seqq.) explicatis definiendum, quid, hiciustum sit, ut adeo hodie feloniam a vasallo commissam, omnium successorum feudaliū legitimorum, siue sint feloniam rei posterius, siue ius collateraliales, ius in his feudis in tuto sit. In his feudis enim aut ius Germanicum, aut Longobardicum valere oportet. Cum autem ius Germanicum adit quod ratione horum feudorum adhuc in obseruantia esse dubio carer, ius Longobardicum locum habere nequit, quod in subsidium tantum valet, si illud deficiat. At enim vero inter leges Germanicas posteriores derogant prioribus, hinc, quid hodie iustum sit, vnice ex recentissimis capitulationibus definiendum, secundum quas per §. XL. omnium successorum feudaliū legitimorum ius in tuto est.

§. XLV.

In feudis publicis provincialibus, vt et priuatis quae de effectu feloniam vasalli quoad successores feudales legitimos innocentes secundum ius feudale Longobardicum (§. XXX seq.) dicta sunt, vnice valent, vt sic, quae de eo secundum ius Germanicum §. XXXVI. seqq. tradita sunt, hic applicari nequeant. Quae enim secundum antiquos Germanorum mores §. XXXVI. obtinuerunt, quoad haec feuda non sunt in obseruantia. A. B. dispositio (§. XXXVII.) quoad haec feuda abrogata iam per capitulationem FERDINANDI III. (XXXIX.). Quae pax publica sancit (§. XXXVIII.), si etiam ad haec feuda extendi possent, conueniunt, tam in casu quo delictum in tertium, quam quo in ipsum dominum directum commissum, cum iure feudali Longobardico. (§. XXXI.

et

et XXXII.). Capitulationum recentissimarum placita vnice feuda imperii, seu immediata, respiciunt (§.XL.). Cum itaque hic plane deficiat ius feudale Germanicum, Longobardicum triumphare neceffe est, tanquam ius in illius subsidium valens

Id intelligi volumus ita, vt haec omnia in feudis mediatis vigeant, quatenus per leges feudales prouinciales iuri feudali communi nihil derogatum. Id quod ob nimium iuris Longobardicirigorem passim factum esse constat.

§. XLVI.

Iam ad feuda Brandenburgica, et ad ea, quae de effectu feloniae vasalli quod successores feudales legitimos innocentes dicta sunt, applicando, transiremus, nisi alio tempore de effectu feloniae vasalli quoad successores feudales *non legitimos* agere apud animum constituissimus, ad quam tractationem melius ac felicius ius patrium poterit remitti, quam hic examinaretur; vt adeo iam laeti, velut superato impedito quodam et insidioso itinere, vela contrahamus, portum ingressuri. Fateor, petitis, tam ex antiquiorum, quam recentiorum temporum memoria, exemplis, et splendorem dissertationi huic conciliare, et iis, qui rebus historicis impensius delectantur, lenocinari potuissse. Verum cum istae vnae non adeo necessariae sint, vt iis carere nequeat iuris tractatio, nec egregiam semper et retrusam eruditionem prodant. (quae enim tum magna et singularis ars est, sexcenta rimari volumina, ibi in historiolum forsam quamdam incidere, stilum ac pugillares accersere, tunc, stantem in

50 DISS. IVR. FEVD. DE EFFECTV FEL. VASSALLI CET.

vno pede, cantando aut oscitando, narratiunculam verbote-
nus transcribere?) praetereaque ad nimiam molem opus
excescere noluerimus: interdiximus nobis hisce amoeni-
tatibus et in persequendo iure toti fuimus. Non raro
per varia discrimina eluctandum fuit, vbi vires, ad al-
terioris indaginis quaestiones nondum satis subactas, defice-
re et languescere sensi, quas quidem hallucinationes vt
nouo in re litteraria homini ignoscant, denuo rogaros vo-
lo omnes.



DOCTIS.

DOCTISSIMO
DOMINO AVCTORI
HVIVS DISSERTATIONIS
S. P. D.
PRAESES.

Sit ita, innumera esse, quae vitam academicam premunt, incommoda: sunt et, quae secum fert, commoda, licet non ita innumera. Non id nunc ago, ut vel incommodorum exempla, vel commodorum indicem, exhibeam, sed unicum tantum, idque praecipuum, nominare placet commodum, quod, non possum non quin mihi distincte repraesentem, dum eius generis Auditorem, qualis TV ES, compello. Quam totus in eo sum, ut formem ingenia eorum, qui meae se tradunt disciplinae, insigni perfundor gaudio, si ex iis, quibus inseruiendo consumor, subinde prodeunt in publicum, quorum ingenia formata esse, specimina, quae edunt, loquuntur. Nunc itaque iterum iterumque gaudendi habeo occasionem a TE, AESTVMATISSIME DOMINE WESTPHAL, mihi datam, TIBIQUE debitam, dum ex hoc TVO mihi exhibito, et, vix verbulo mutato, reddito specimine tantam percipio voluptatem, quanta est, qua cernit agricola laetam, peracto labore impendendo, efflorescere segetem. Formatum esse TVVM ingenium sat bene, meque, quoad TE, finem quem intendo obtinuisse ex asse, ex hoc specimine perspexi; licet mecum habitem et sciam, me non nisi primas

lineas duxisse, ad corpus *TVÆ* iuris scientiæ, quæ an rectæ vel curvæ sint, iudicent alii. Docui *TE*, non ex factis, sed ex legibus, quid iustum sit, definiendum esse; diuersa iura esse separanda; immota iuris naturalis principia in omni iure postiuo fundamenti loco adsumenda, iisque superstruenda esse, quæ sancita sunt per legislatorum voluntatem, ultra quam ne sapias sæpius inculcaui. Operam porro dedi, ut cognitio *TVA* veritatum iuridicarum fiat, vi distinctarum notionum et demonstrationum, distincta et solida. Hæc sunt, si quid video, lineæ rectæ, non curvæ, corporis solidi et firmi iuris scientiæ; licet sint qui in sua insipientia habent eas pro curuis. Ita edoctus, et a natura insignibus animi dotibus instructus, propria *TVA* industria, quam, ut paucis multa dicam, summam, absque adulatione a me quam maxime aliena, appellare possum, accedente, insignes breui tempore fecisti progressus, quos pro hoc *TVM* specimen, quod ad lineas, quas duxi, efformatum esse sentio, mihiq; de tali discipulo gratulor. Quodsi nunc, ut moris est, in laudes *TVAS* excurrere, votiuis adclamationibus *TE* cathedram ascendentem concomitari, immo canere ut vates de *TVIS* ulterioribus in iuris scientia progressibus et meritis in eam a *TE* expectandis, vellem, verendum mihi, *TE* aliosque suspicari, me auribus *TVIS* aliquid dare, aut, quod magis pessimum, recte proprias laudes ebuccinare. Sufficit itaque mihi, bonorum neminem futurum, qui *TE* laude dignissimum esse, non iudicabit; *TE*, liceat sileam, non dubitaturum, quod fausta quæuis *TIBI* apprecer; et non opus esse augurari quæ, licet futura sint nunc, erunt tamen vix augurata præsentia. Vale. Dabam Halæ d. XXIX. Iun. MDCCLVII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
AVCTORI DEFENSURO

S. P. D. A. P.

IOANNES PHILIPPVS CARRACH

SERENISS. PRINC. YSENBVRG. NEC NON CELSISS. COMIT.
YSENB. BVDINGENSI A CONSILIIIS AVLICIS ACTVALIBVS,
IVR. PROFESS. PVBL. ET ICTOR. ORDINIS
ADSESS. IN REG. FRIDERICIANA.

Non sine voluptate ac insigni quadam animi delectatione hi, quibus ubertas et acumen ingenii, quibus lepor dicendi, quibus artium, mentes ad humanitatem fingentium, elegantia, quibus literate docta laudantur, eam, qua hactenus auditione, lectione, literis, usu praediscere consueuisti ac meditari, florentis TVI, AMICE AESTVMATISSIME, contemplati sunt ingenii exercitationem. Indolem igitur virtutis, quae gloria inuitatur, secutus, optimum TEMET ostendendi consilium cepisti, non modo specimen caeteris daturus aptissimum, sed TVI quoque tuto facturus periculum. Ego quidem TE, IUVENIS DOCTISSIME, causam primi TVI, perquam erudite concinnati documenti publice peroraturum, laeta saluere iubeo ac festiuu voce. Bona ista et antiquissima TVLLII merito

merito erga TE utor vaticinatione, quod verus, iustus atque honestus labor honoribus, praemiis ac splendore decoretur. Ita sane TVAM TVORVMque expectationem compleas, immo utramque fortuna superet accomoda. Caeterum ut mihi TIBI addictissimo fauere pergas, enixe rogo. Hallae Salicae VIII. Kalendas Quintiles A. G. H. R. cIo Io CC LVII.



ULB Halle
004 931 394

3





14
1757
66

DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS
 DE
 EFFECTV FELONIAE
 SALLI QVOAD SVCCESORES
 FEVDALES LEGITIMOS
 INNOCENTES

QVAM
 PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET CONSVLTISSIMO
DANIELE NETTELBLADT
 TENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIIS AVLICIS
 ET PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO
 ATRONO ET PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO
 D, II. IVLII MDCCLVII.
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
 AVCTOR
ARNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL
 QVEDLINBVRGENSIS.

HALAE RECUSA, TYPIS HENDELIANIS 1779.

